A. D.

EXERCITIUM JURIDICUM

De

MODO SUCCEDENDI IN FEUDIS,

Quod

Conſenſu Inclyti JCtorum Ordinis
in Celeberrimâ ad Albim Academiâ

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII MICHAELIS
HEBERI,

JCti & Anteceſſoris celeberrimi, Curiæ Electoralis, Scabinatûs ac Facultatis Juridicæ Aſſeſſoris
Graviſſimi &c.

Domini ac Patroni ſui Honoratiſſimi
Publicè ventilandum exhibuit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AUTOR

Hans Gebhardt Stiehl/

In Auditorio JCtorum
Ad diem 24. Octobr. M DC LXXXV.

WITTENBERGÆ
Typis MATTHÆI HENCKELI, Academ. Typogr.

SERENISSIMO CELSISSIMOq; PRINCIPI ac DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEORG: IV,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ac Montium Electoratus Heredi, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ & utriusq; Luſatiæ, Burggravio Magdeburgenſi, Principali Dignitate Comiti Hennebergenſi, Comiti in Marca, Ravensberg / ac Barby / Dynaſtæ in Ravenſtein.

Domino ſuo Clementisſimo

Hoc Exercitium Juridicum,

Ut devotisſimæ ſubjectionis ſuæ monumentum extet,

Sacrum eſſe voluit
Autor
Hans Gebhard Stiehl.

A. & Ω.

I.

CONſideraturi rationem ſuccedendi in Bonis Feudalibus, iſtud loco principii collocamus, Feudorum ſucceſsiomem fieri debere ſecundum Juris Communis diſpoſitionem, niſi expreſsô jure feudali, aut evidenti ejus ratione contrarium reperiatur definitum.

II.

Qvemadmodum autem Jure Communi omnis ſucceſsio in Allodialibus eſt vel ex Teſtamento, vel ab inteſtato, ita qværendum ante omnia erit, utrum & in feudis ſucceſsio ex teſtamento detur? In Allodialibus primam rationem haberi teſtamenti, ut qvi eo inſtituti ſunt hæredes ab inteſtato excludant ex *l. 39. de Acqvir. vel omitt. Hered. l. 89. de R. J.* conſtat. Vaſallum autem teſtari ordinariè, hæredem inſtituere, legare, aut per fidei commiſſum relinqvere non poſſe *t. F. 8. de ſucceſſ. feud.* traditur. Cujus rei ratio in eo poſita eſt, qvod Feuda ex providentiâ legum deferuntur. Qvamobrem qvi in iis ſuccedunt, nec ex teſtamento ſuccedere poſſunt, qvia Feuda debentur beneficio primi inveſtientis & acqvirentis, nec ſi propriè loqvi velis, ob eandem rationem heredes ab inteſtato dici qveunt. Voluntate igitur ultimâ feuda in neminem transferri poſſunt.

III.

At foraſſe verum hôc fuerit in feudis Regularibus, Antiqvis nempe, & iis, qvæ ex pacto & providentiâ dicuntur, de Novis veto aliter ſtatuendum? Minimè; utut enim novum ſit, feudi tamen ſubſtantia & natura ei ineſt, vi cujus ad neminem tranſit, niſi

ad qvem Dominus feudi pervenire voluit. Secus eſt, ſi Dominus nominatim conſentiat in teſtamenti factionem. Idem dicendum eſt de feudo hereditario, ut nec in eo locus ſit ſucceſſioni teſtamentariæ, qvia utiqve & hoc naturam feudi habet, qvamvis, id ſingulariter in eo ſit receptum, ut ratio ſuccedendi in allodialibus ab inteſtato uſitata obſervetur, ut ſcilicet immediatè ſuccedatur defuncto, & ab hoc tanqvam ultimo poſſeſſore feudum habeatur. Qvod tamen non eſt intelligendum de feudo Hereditario, de qvo qvis inveſtitus eſt, tanqvam re allodiali, **als eigenthümlichen gute**/ reſervatâ tantum Domino fidelitate; qvod non tam pro feudo, qvam Allodio, cui feudalia onera ſunt impoſita, eſt habendum.

IV.

De Feudo item Franco diſqviri poteſt, an in eô ex teſtamentô ſucceſſio detur? Videtur enim parum intereſſe Domini feudi, qvis ſit poſſeſſor rei, ex qvâ nulla ſervitia præſtantur. Qvia tamen feudum francum, exceptis ſervitiis, naturam propriè dicti feudi retinet, magis eſt, ut nec de eô per teſtamentum qvicqvam ordinare liceat.

V.

Sed nec Patri inter liberos de feudo diſponere permittitur. Diſertè enim textus *1. F. 8.* loqvitur filios tantum æqvaliter ſuccedere, nullâ ordinatione in feudo defuncti manente vel valente. Videtur qvidem à ratione non eſſe alienum, ut, qvamvis directa diſpoſitio inter liberos de feudo facta non ſit rata, filius tamen ob juſtas cauſas à Patre exheredatus in conſeqventiam qvoqve à feudi ſucceſſione excludatur; tametſi feudum ex pacto & providentiâ ſit, cum filius repudiatâ hereditate feudum habere neqveat, multo minus, ſi exheredatus ſit. Verum aliud eſt, filium poſſe ſuo beneficio feudali renunciare ſive directo ſive per conſeqventiam non agnoſcendo hereditatem, aliud poſſe privari à Patre. Hoc facere neqve directô, neqve per indirectum Pater poteſt: nec enim paternum teſtamentum tantam vim habet, ut circa feudum ex pacto & providentiâ, qvod ex beneficio primi Concedentis & pacto cum primo acqvirente omnibus deſcendentibus debetur, qvicqvam

qvam operetur. Qvo in loco non poſſumus, non abire ab *Hart. man. Piſtor. part. 2. q. 13. n. 49. ſeqq.* Sententiâ, ſtatuentis, filios non tam beneficio Primi acqvirentis, qvam mediante perſonâ Patris ſui ſuccedere, & ab ipſo Patre feudum capere; idqve vel exinde conſtare; qvod, poſito, filios non habere feuda beneficio Patris, ſeqveretur, Patruum filii, qvi Avo proximior eſt gradu, ſuccedere debere in feudo, excluſo filio. Nam hoc planè non conſeqvitur. Fieret enim qvid contra legem primi conferentis, qvi voluit ad deſcendentes beneficium pervenire debere. Qvemadmodum enim fideicommiſſum familiæ filius non habet beneficio patris, nec per exheredationem â Patre privari eo poteſt. *l. 114. §. 15. de Legat. 1.* ita hoc feudum filius â Patre conſeqvitur, ſed ex contractu primi Concedentis & acqvirentis, licet id prius, qvam Pater deceſſerit, conſeqvi neqveat. Qvod licet ita Theoriæ magis videatur conſentaneum, negari tamen neqvit, cit. Piſt. ſententiam in Praxi atqve judiciis fortè magis attendi.

VI.

Alia qvæſtio eſt de Agnatis, Num conſenſu Domini Feudi Vaſallus de feudo diſponere poſſit in eorum præjudicium? *2. F. 39.* de alien. pat. feud. hæc extant verba: Alienatio paterni feudi, non valet, etiam Domini voluntate, niſi agnatis conſentientibus, ad qvos beneficium qvandoqve ſit reverſurum. Verùm enim vero textus iſte agit de refutatione feudi, qvæ fit â vivente in gratiam filiæ, qvando feudum in manus Domini eum in finem refutatur, ut filiam de eodem beneficio inveſtiat. Hic autem qværitur de ſucceſſione, qvæ fit mortuo Vaſallo, qvem caſum continet *1. F. 24. Qvemadmodum ad fil. perven.* ubi traditur, filiam per redemtionem feudi, vel alias ex favore & gratiâ domini obtinere poſſe, ut agnatis Collateralibus præferatur. Qvamvis autem id admittatur, inde tamen non conficitur, Vaſallum Domini conſenſu in præjudicium Agnatorum de feudo teſtari poſſe. Qvid vero juris, ſi Dominus feudi, agnatiqve, ſive expreſsè ſive tacitè teſtamenti factionem concedant Vaſallo? Fac Vaſallum præſentibus domino & agnatis, iis non contradicentibus de feudo teſtatum eſſe. Difficilem & odioſam hanc Qvæſtionem eſſe, *Roſenthal. c. 7. concl. 7.*

reſpondet. Nobis non licere Vaſallo teſtari videtur. Nemo enim teſtari poteſt de re, niſi in qvô principium dirigendi primũ eſt. Atqvi novos conſtituendi Vaſallos principium non eſt in Vaſallo, ſed in ſolo Domino. Ergo voluntas Vaſalli hac in re non poterit eſſe principalis & Domini acceſſoria. Hoc enim naturæ feudi repugnat, qvæ in hoc eſt poſita, ut Dominus feudi ſuperiori jure gaudeat, Vaſallus inferiore & ab illo dependente. Nullâ igitur ratione teſtamenti factio circa feuda conceſſa eſt, qvòd ea evertit ſubſtantiam feudi, facitqve in allodia degenerare. Sicubi ergo aliqvâ in Provinciâ receptum eſt, ut de feudo teſtari liceat, feuda ibi reverà allodia eſſe ſervitiis militaribus affecta, putamus. Forte autem teſtamenti de feudo facti hic fuerit ſaltem effectus, ut ſi eo jubeantur eſſe ſucceſſores, qvibus alias feudum debetur, poſſint ex *L. ult. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* immiſſionem in feudum petere & impetrare. Sed & hoc commodum nullius momenti eſt; nam tametſi tabulæ teſtamenti nullæ extent, ſucceſſores ex officio mitti in poſſeſſionem debent. *Roſenth. de Feud. c. 2. concl. 29.*

VII.

An legata ad pias cauſas circa bona feudalia valeant, disceptari poteſt? Jus Feudale nihil eâ de re diſponit. Qvidam ex æqvitate Canonicâ valere exiſtimant. Communis tamen ſententia eſt, nec pro animâ de feudo teſtari, vel legare vaſallo integrum eſſe, ne qvidem qvod unius candelæ pretium. Sed qvid de æſtimatione ſentiendum? Domo legatâ, ſi ipſa tradi neqveat, qvod Dominus eam vendere nolit, debetur æſtimatio. At vero id ad feudum extendi neqvit. Neqve enim, ut rectè Doctores ſtatuunt, feudorum liberum eſt commercium, qvemadmodum nec rerum, qvæ Principis ſunt, qvæ ſine ejus conſenſu alienari neqveunt. Præterea autem ſucceſſori debetur feudum, prout in primâ inveſtiturâ collatum eſt.

VIII.

Poſtulat ordo, ut de ſucceſſione ab inteſtato diſpiciamus; qvæ, vel Aſcendentium vel Deſcendentium vel Collateralium eſt. Ne vero neceſſe ſit idem ſæpius repetere, operæ pretium erit recen-

ſere

ſerè eos, qvi ad feudi ſucceſſionem admittuntur, vel non. Non admittuntur I. Clerici, ne curis rerum ſecularium diſtrahantur *cap. placuit c. 21. q. 3.* Et propterea ſi dantur laici, qvibus feudum ex primâ inveſtiturâ debetur, illi ſunt præferendi, nam & qvi feudum habet, ſi Clericus fiat illud amittit. *2. F. 26. §. qvi Clericus.* Ut vero maximè paratus ſit ſervitia militaria per ſubſtitutum præſtare, id ei minime prodeſſe debet. Nec enim Domini feudi certi eſſe qveunt, eandem à Subſtitutis induſtriam ac fidem præſtitum iri, qvam ab iis, qvos ex nobili familiâ peculiariter Dominus elegit. Adde, qvod ſi liberum foret Vaſallo per ſubſtitutum ſervire, muti ſurdi & alii ad ſervitia bellica inepti admittendi forent, qvos tamen Jus Feudale non admittit. Sic etiam Jure Saxon. à ſucceſſione, Clerici & fœminæ arcentur lehnr. art. 2. pr. verb. Pfaffen und Frauen. Feudoqve exuuntur, qvi vitæ monaſticæ ſe dedunt. landr. *L. 1. art. 25. poſt pr. verb.* begiebet ſich aber ein Mann zum Münchleben. Qvid ſi vero dominus permittat, ut Clericus per ſubſtitutum ſuum officium faciat? Eqvidem negari neqvit, eum curis ſecularibus occupari, qvi de ſubſtituto meditari tenetur, ſed lehnr. liberum domino fecit, an velit per ſubſtitutum à Clerico ſervitia exhiberi. *art. 2. verb.* Welcher Herr dieſer einem ein Gut lehnet/ von dem haben ſie Vollrecht an dem Guthe. Qvod ſi igitur Clericus ſimultaneè ſit inveſtitus in foro Saxonico non poteſt à feudo arceri. vid. *p. 3. c. 28. ib.* daß die Geiſtlichen Perſohnen aus der lehngüther ſucceſſion nicht können noch ſollen ausgeſchloſſen werden / ſintemahl ſie ihr lehn durch andere Subſtituten gegen die lehnsherren verdienen können. Qvod tamen beneficium Monachis non aliter conceditur, qvam ſi à vitâ monaſticâ ſe penitus abdicaverint. *d. c. 28. p. 3.* So viel aber die Münche/ ꝛc. Qvia nempe Monachi nihil proprii habent, ſed omnia Monaſterio acqvirunt. *auth. ingreſſi C. de SS. Eccleſ.* landr. *L. 1. a. 25. pr.* nec hos in propoſito perſiſtentes ad feudi ſucceſſionem venire voluit Elector. Atqvi Monaſterium hereditatis capax eſt. Ergo qvousqve vixerit Monachus, monaſterio debebitur. Sed qvia iſta ſententia nec textu, nec idoneâ ratione munitur & Conſtitutio Electoralis repugnat, in praxi non eſt recepta. Porro autem non licet per ſubſtitutum ſervire, qvando

Feu-

Feudum eſt Novum, & Dominus concedens induſtriam certæ perſonæ nominatim elegit, *Carpz.p.3.c.28.d.3.* item qvando in inveſtiturâ diſertè Cautum eſt, Vaſallum, ejusqve ſucceſſorem perſonaliter deſervire debere. Per inveſtituram enim lex Feudis imponitur. Jure Saxonico etiam arceri videntur ignobiles, qvo omnes illi, qvi Patrem avumqve nobilem non habent, juribus feudalibus frui neqveunt. Lehnr. *L.* 2. ſed id conſvetudine non obſervatur. *Carpz. p.3. c. 28. d.5.* De Muto, ſurdo, Claudo vel aliter imperfecto diſputatio eſt, utrum ſuccedere poſſint? Et *2.F.36.* qvidem duæ ſententiæ contrariæ recitantur, nec utra potior ſit, ſatis conſtat. Alvarottus putat priorem, qvæ Oberti & Gerardi eſt, amplectendam eſſe, qvod non ſit credibile, auctorem operis feudalis ſuam narraturum fuiſſe ſententiam, eum in finem, ut ab aliis corrigatur. Aliis tamen poſterior ſententia placet, qvibus perſvaſum eſt, titulos iſtos non ab Oberto ſed aliis collectos eſſe, præprimis, cùm *1. F. 6. §. 2.* mutum non poſſe retinere feudum, ſi nullo is modo loqvatur, tradatur, ejusqve rei ratio reddatur *2. F. 36.* qvia ipſum feudum ſervare non valent, weil ſie das Lehn nicht bedienen können. Et hanc etiam Sententiam amplectitur Jus Saxonicum Landr. *L.1. art. 4.* verb. wird aber ein Kind gebohren/ ſtum ſinn oder witzloß/ oder blindt/ oder ſonſt unvollkömlich an ſeinen Leibe/ das iſt wohl Erbe zum Landt aber nicht zum Lehnrecht. Qvod ſi tamen feudum ſit Francum, vel tale pro qvo non ſervitia perſonalia præſtantur, ſed annatim aliqvid ſolvitur, item, ſi dominus ſcivit, vitium, & nihilominus inveſtivit, eò in caſu tacitè conſenſiſſe Vaſallo intelligitur, ut per ſubſtitutum ſervitia præſtet. Qvamvis verò dictæ perſonæ non poſſint ſuccedere in feudo, ſi tamen feudum magnum ſit, eoqve ablato ſe exhibere neqveant, iis tantum eſt relinqvendum, ut ſe ſuſtentare poſſint. *1. F. 6.* Excluduntur porrò Fœminæ & ex fœminis deſcendentes. *1. F. 1. §. 3.* Cujus ratio eſt, qvod non videantur ſatis idoneæ ad præſtanda ea, qvæ Vaſallo incumbunt, ſervitium militare, conſilium, votum, conſtantiam & ſecreti taciturnitatem. Nec juvantur eò, qvod feudum inveſtiturâ generaliter ſit conceſſum; Semper enim habiles ad ſervitia militaria intelliguntur,

tur, prout ſubjecta materia reqvirit. Heredis namqve vox in feudis ſemper maſculos ſucceſſores continet *Mynſing. Cent.5. obſ. 72. n. ult.* Qvæ etiam ratio obtinet, ubi primus acqvirens acqviſivit vor ſich und ſein Geſchlechte. Nam etiam ſic habiles intelliguntur. Nec aliter ſe res habet in feudo emto. Julius Clarus eqvidem *l. 4. §. feudum q. 73. n. 6.* putat, feudum emtum propriam feudi naturam non habere, modò ſit juſtô pretiô emtum, nec expreſsè maſculorum in inveſtiturâ facta ſit mentio. Verùm nulla poteſt idonea reddi ratio, qvamobrem feudum emtum indolem feudi non habeat, etiamſi vel ab ipsô Dominô comparatum ſit. Cur enim non poſſit vendere & in contractu rei venditæ legem dicere, ut feudalis ſit? Atqve hinc qvoqve Julii Clari ſententia in Camerâ imper. non eſt recepta. *Mynſing. cent. 5. obſ. 73.* De feudo pignori oppoſito ſecus eſt. Nam qvamdiu Dominus illud pignoris nexu non ſolvit, tamdiu concedere cogitur, ut & fœminæ feudo fruantur, qvia jus pignoris, qvod defunctus habuit, ad ipſas pervenit. Ceterùm nec in feudô ab Eccleſiâ datô fœminæ ſuccedunt. Qvamvis enim vulgò dicatur, der krumme Stab ſchlieſſe niemands auß / qvod fortaſſis ex eô natum eſt, qvia faciliùs fœminæ ab Eccleſiis, qvam aliis ſecularibus dominis admittuntur; id tamen nihil eis prodeſt, niſi ſicubi talis conſvetudo ſingulariter recepta eſſe probatur. Sicuti nec illis patrocinatur, ſi feudum ſit exiguum. Qvicqvid enim hujus ſit, feudi tamen natura æqvè in parvis atq; magnis manet. Qvod ſi feudum ſit conditionatum, ſeu ad certum ſervitium datum, qvod & à fœminâ præſtari poſſit, velùti mittere tres eqvites aut ſolvere cenſum annuum, dubitari poteſt, annon fœminæ admitti debeant. Verùm qvia præter ſervitium in Vaſallô exiguntur Conſilium, votum, conſtantia & taciturnitas, qvæ in muliebrem ſexum ægrè conveniunt, ne in tali qvidem feudô admittenda venit. *Julius Clarus* qvidem *L. 4. R. S. §. feudum, q. 73. & ſeq.* accedit eorum ſententiæ, qvi in tali caſu admittendam eſſe fœminam cenſent, fatetur tamen pati in punctô juris difficultatem ob eam

rationem, qvòd præſtatio ſervitii non ſit ſola cauſa excludendi fœminas à ſucceſſione. Rectiùs tamen noſtrô judiciô ſentiunt, qvi præter ſervitia etiam fidelitatem inſpiciendam docent, an & hæc remiſſa ſit, ut ita feudum boni Cenſitici vel Emphyteutici naturam induerit, cùm fœminæ ad fidelitatem præſtandam non æqvè ac maſculi ſint idoneæ. Capit. extraord. *ſicui militi*, qvod *Cujacius L. 4. t. 104.* pro hac ſententiâ adducit, non moramur, cùm illud authenticum non ſit. Atqvè ex his rationibus exiſtimamus, ne talem qvidem fœminam, qvæ armis aſſveta res ſtrenue in bellô geſſit, ad ſucceſſionem admittendam, cùm, ut maximè ad ſervitia militaria obeunda apta ſit, ad cætera, qvæ ad fidelitatem ſpectant, non ſatis idonea eſſe qveat. Illud non habet dubium, qvin, ſi feudum fœmineum ſit, cujus ſucceſſio petitur, fœmina ſucceſſionis ſit capax. Duobus autem modis fœmineum feudum dici, obſervandum eſt. (1) qvod à fœminâ eſt acqviſitum (2) qvod acqviſitũ eſt qvidẽ à maſculô, ſed cum pactô, ut & fœminæ ſuccedant. Qvod primum attinet, exiſtimant nonnulli in eôdem etiam fœminas ſuccedere. Movet eos, qvod Dominus concedendo fœminæ feudum à jure feudali communi, qvod ſolis maſculis ſucceſſionem defert, recedere videatur. Atqve hic multum ſe torqvent interpretes in explicando text. *l. 2. F. 30. de feud. famin.* qvi vel ita exponi poteſt, qvod Obertus & Gerardus falsò exiſtimarint, ac ſi fœminæ feudum, qvod habet, deficientibus filiis maſculis ad filias pertineat, etiamſi nullum ſpeciale pactum de hac ſucceſſione in inveſtitura factum ſit, ſufficere enim qvod fœmineum ſit, vel meliorem eſſe ſententiam aliorum ſtatuentium, qvod in feudô fœmineô filiæ non ſuccedant, niſi per ſpeciale pactum id ita in inveſtiturâ ſit conſtitutum, idq; ex hâc ratione: ſi enim qvatenus fœmineum ſine pactô tranſeat ad fœminas, eâdem ratione tranſiturũ ad fœminas etiam eô caſu, qvo maſculi exiſtunt. Id verò falſum eſt. Ergò ſine ſpeciali pactô feudũ fœmineũ in defectu maſculorum ad filias non tranſire. Alii ſic exiſtimant: rectè dixiſſe Obertum & Gerardum feudum fœminum, qvia fœmineum etiam ſine pactô ſpeciali deficientibus filiis maſculis

ſculis ad filias pertinere ; qvod verò alii dicunt, ad filias illud non pertinere, niſi ſpeciali pacto, ob hanc rationem, qvaſi valente hac ratione etiam exiſtentibus filiis ad filias perventurum ſit, id falſum eſſe. Hæc enim verba *qvod falſum eſt*, rectius concipi impugnare poſteriorem ſententiam, qvam Oberti & Gerardi, qvi autores & compilatores feudalium librorum fuerunt. Nihil pro allatâ ſententiâ facere, qvòd, qvando diverſæ ſententiæ enarrantur, nec additur, qvæ potior ſit, pro poſteriori militet præſumtio, cum contrà hîc præſumatur, Obertum & Gerardum nihil contra ſuam propriam ſententiam admiſſuros & ſe ipſos refutaturos eſſe. Poſteriorem ſententiam juvat. text. *l. F. jo. de Nat. ſucc. feu.* verb. *inferius vero filius patri ſuccedit, & non filia, niſi ex pacto, vel niſi ſit fœmineum.* Tametſi autem à qvibusdam reponatur, Conſvetudines feudales plures agnoſcere Compilatores, ac totum librum qvartum Cujacianæ editionis, in qvo hic titulus continetur, ex variis & incertis auctoribus, non ab ipsô Oberto & Gerardo collectum eſſe, nolumus tamen inani huic pugnæ, qvæ ex figurâ verborum oritur inhærere, qvin potius de ſolidâ ratione cogitabimus; Ratio, qvâ uſi ſunt Oberti & Gerardi ſententiam impugnantes, non magni ponderis eſt: Nec enim collectio valet, fœminas etiam debere cum maſculis ſuccedere, ſi ſuccedere illas dicas propterea, qvod feudum fœmineum eſt. Qvod ſi enim nihil pacto convenerit, cum mulierem dominus inveſtiret, feudum æqve ad filias, qvàm ad filios pertinere debere, præſumtio magis pro filiis militat. Præſumitur enim dominus, qvantum fieri poteſt, voluiſſe feudum potius apud maſculos, qvam apud fœminas manere, qvia præſumitur magis prò eo, qvod regulare, qvam qvod irregulare eſt. Nec aliter ſentiendum eſt de feudis hereditariis, in qvibus ſuccedentes ſemper unà ſunt heredes, nulli tamen alii admittuntur, qvàm ii, qvi feuda aliàs regulariter poſſidere poſſunt. Aliud eſt in allodiô ſervitiis, vel oneribus feudalibus gravatô. Cum enim de tali teſtari liceat Vaſallo, ac præterea integrum ei ſit, illud alienare ac transferre ad qvemcunqve voluerit, nec interſit domini qvis ſer-

vitia præſtet, ipſe Vaſallus an ejus ſubſtitutus, dubium non eſt, qvin fœmina in tali allodiô rectè ſuccedat. In Feudo franco dubitari poteſt, an fœmina ſuccedere poſſit. Qvia enim muti, ſurdi, coeci claudi & alii ad ſervitia bellica inepti ſuccesſionem conſeqvi poſſunt, nihil videtur obſtare, qvominus fœmina qvoqve admittatur. Qvo facit etiam *cap. Extraord. ſi cui militi &c.* Qvod Cujacius recenſet *l. 4. f. t. 104. verb. Si cui militi ad certum ſervitium feudum fuerit datum, usqve, relictâ à ſe deſcendente fœminâ deceſſerit, qva id ſervitium juxta feudi conditionem non minus decenter præſtare poſſit, qvàm maſculus, ea rectè admittitur, licet inveſtiturâ minimè cautum ſit.* Inde enim conficitur, multò magis fœminas admittendas, ſi plane nullum ſervitium, ut in feudis francis præſtetur. Verùm diſtingvendum eſt, utrum feuda ſint tantùm libera ratione ſervitiorum, an etiam qvoad partes fidelitatis & qvoad præſtationem juramenti fidelitatis. Hoc in caſu, qvia ferè naturam feudi deponit & Emphytevticorum vel Cenſiticorum bonorum indolem aſſumit, fœminæ rectè admittuntur. Porrò qværi poteſt utrum, qvando pacto inveſtituræ qvis fuit inveſtitus pro ſe & heredibus tàm maſculis, qvàm fœminis, fœminæ conjunctim ſuccedant? Svadet id copulativa particula *et*, qvæ æqvalia fœminis cum maſculis jura tribuere videtur. At, qvia qvilibet contractus ſuam tamdiu retinet naturã, donec conſtet expreſsè in omnibus receſſum ab eo eſſe, colligere proclive eſt, tamdiu maſculos præferendos eſſe, dùm ſatis appareat, fœminas maſculis omnimodò eſſe exæqvatas. Ex inveſtiturâ verò pro maſculis & fœminis factâ, mentem inveſtientis fuiſſe, ut fœminæ maſculis exæqvarentur, liqvidò ſatis colligi neqvit. Qvamobrem etiam in propoſitô caſu, etiamſi maſculi fœminis gradu remotiores ſint, eos tamen iis præferri, non eſt dubitandum. Igitur, ut fœminæ cum Maſculis par jus prætendere poſſint, perſpicuè id literæ inveſtituræ declarare debent, v. gr. fœminas pari jure cum maſculis in ſuccesſione feudi frui debere *Carpz. p. 3. c. 20. d. 73. ſeq.* Huc pertinet iſta qvæſtio, utrùm fœmina per maſculos ſemel excluſa à ſucceſſione feudi, ad qvam in inveſtiturâ vocata erat,

rat, maneat perpetuò excluſa, ita, ut ne maſculis qvidem deficientibus poſtea admittatur? Communiter id ſtatuunt DD. fundamentô petitô ex *L. I. F. t. 6. §. 1. verb. Qvin etiam, ſi qvis eo tenore feudum acceperit, ut ejus deſcendentes maſculi & fœminæ illud habere poſſint, relicto maſculo, fœminæ ulterius non admittuntur.* Ex qvô colligunt, Dominum, qvamvis benignè faciat, ſi cognatos ultimi Vaſalli admittat, non tamen jure ad id teneri, niſi fortaſſe ſpeciali alicujus provinciæ conſvetudine hoc ſit introductum, aut niſi pactum inveſtituræ in hunc modum conceptum ſit, ut fœminæ non ſuccedant, donec maſculus ſuperſit, vel ut ſuccedant deficientibus maſculis; ſeu, qvando Inveſtitura facta eſt pro hæredibus maſculis, & caſu, qvô tales non, filiæ poſteà, aliiqve generis fœminini in lineâ deſcendenti ſuccedant. Tale namqve pactum facit, ut ſicubi Maſculi deficiant, feudum ad fœminam perveniat. Atqve ſic pronunciatum eſſe in Camerâ teſtis eſt *Roſentb. de Feud. cap. 7. concl. 45. n. 20.* Cui etiam ſententiæ adſtipulatur *Gail. l. 2. obs. 148.* Sunt tamen nonnulli, qvi iſtam regulam non agnoſcunt. Horum in numero eſt *Hartm. Piſtor. p. 2. q. 36.* Adducunt pro ſe *2. F. 17. verb. Non enim patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qvi primus de hoc feudo fuit inveſtitus.* Unde argumento à contrario ſenſu ductô colligunt. Ergo deficientibus Maſculis, fœminæ ſemper ſuccedunt, qvando inveſtitura prima facta eſt pro primo acqvirente ejusqve ſucceſſoribus maſculis & fœminis. Sed tantum pondus huic argumento non ineſt, qvantum *Petr. Heig. p. 1. qv. 26. n. 8.* ineſſe credit, qvando ait: Pro poſteriore ſententiâ rationes ſtare tam firmas, ut, qvi relictis hiſce frugibus adhuc glandibus veſci malit, vix inter prudentes locum ſuum hodiè tueri poſſit; & ſi perfractè adhuc veritati reluctari pergat, commiſeratione potius, qvàm acriori caſtigatione dignus videatur. Licet enim certiſſimùm ſit, ſi qvis ſibi vel hæredibus ſuis Maſculis vel his deficientibus, fœminis per beneficium inveſtituram accepit, deficientibus maſculis, fœminas ſuccedere (id enim tantum ex adducto *tit. 17. l. 2. F.* ſi principium hujus tituli conſideremus, colligi poteſt: idqve etiam non

 dif-

diffitentur, qvi priorem ſententiam ſeqvuntur, ut ex *Gailio l. 2. Obſ. 148. n. 3. f.* ſatis evidenter patet,) qvemadmodum & hoc non habet dubium, ſi inveſtitura ſit ita facta, ut, donec Maſculus ſit ſuperſtes, fœmina non ſuccedat, fœminam per maſculum primum ſuccedentem ita non excludi, qvò minùs eo mortuo rursùs admittatur; hôc tamen ipsô non evertitur, qvod prioris ſententiæ ſectatores ex *1. F. 6. §. 1.* tradunt, ſi qvis eô tenore feudum acceperit, ut ejus deſcendentes Maſculi & fœminæ illud habere posſint, relictô maſculô fœminas ulterius non admittendas eſſe. Qvi hæc verba ſedulò perpendit, neceſſe habet fateri, vim textui inferri, qvando verba ejusdem (*fœmina ulterius non admittitur*) ita accipiuntur, *qvando & qvamdiu maſculus ſupereſt.* Nam ulterius non admitti ſimpliciter poſitum ſignificat, nunqvam admitti. Qvo accedunt verba final. ejusdem *tit. 6. Et his omnibus caſibus feudum amittitur,* & ad dominum revertitur, unde inferas: qvod ſi omnibus caſibus in tit. citato enarratis feudum ad dominum revertitur, etiam id eô in caſu fiet, qvando fœmina excluditur à maſculis. Qvod ſi hæc verba in literis inveſtituræ reperiantur: **Wenn der Vaſall, und deſſen Lehns-Erben Söhne oder Töchter lehns verſchieden / und nicht mehr weren / alſo denn ſol erſt die Lehn dem Domino Feudi, und deſſen Nachkommen anheim fallen /** non putaverim ob hæc ſola verba pronuntiandum, fœminas ſemel excluſas denuò deficientibus maſculis admittendas eſſe, ſi tali modô inveſtitura ſit facta, qvaliter cit. *t. 6. §. 1.* exprimitur. Accipienda enim ſunt verba hæc de eô caſu, qvo fœminæ potuerunt ſuccedere, nullis nempè maſculis extantibus. Filiæ enim, qvamvis Pater & pro his ſit inveſtitus, non ſuccedunt, niſi maſculi non extent *1. F. 8. §. ult.* Filiæ autem ſemel excluſæ ulterius non admittuntur. Hæc ſententia, qvamvis iniqvitas ei ſubeſſe videatur, naturæ tamen feudorum magis congruit. Omnis autem interpretatio verborum ita debet fieri, ut cum naturâ rei ac indole, de qvâ ſermo eſt, maximè conveniat, nihilqve pugnans cum naturâ contractuum eſt admittendum, niſi id ſit oppidò perſpicuum. Ceterum ſi qvis procreaverit maſculum & filiam,

liam, Maſculus autem natus ſtatim vivente adhuc patre mortuus ſit, & ad perceptionem uſusfructus feudalis non pervenerit, filiæ favendum meritò erit, propter verba in cit. *§. quin etiam t. 6. l. 1. F. relictô maſculô &c.* ſecus erit, ſi poſt mortem Patris natus ſtatim moriatur; tum enim filia excluſa ad feudum pervenire neqvit. Similiter ſi feudum filius repudiaverit, aut propter delictum fuerit feudi incapax, ſucceſsionem filiæ concedendam arbitramur, cum paria ſint, non relinqvere, & talem relinqvere, qvi ſuccedere non poſsit.

IX.

Ut primus ordo ſuccedentium in allodio deſcendentium eſt; ita etiam in feudo primus ipſis locus tribuitur. Igitur Deſcendentes primi acqvirentis in feudô in infinitum hodiè ſuccedunt. Olim enim in feudis nulla erat ſucceſsio, ſed poterant hæc pro arbitriô conferentis revocari, poſteà ad vitam acqvirentis; hinc, ut ad filios pervenirent, poſtea ut & ad nepotes fratresqve, tandem ut in infinitum duraret ſucceſsio, collata ſunt *1. F. 1. 1. §. 2.* Ac licet veſtigia hujus rei in feudis regali dignitate affectis remanſerint, ut ſcil. ſucceſsio in iis locum non haberet *1. F. 14. pr.* id tamen hodie qvoqve, aliter obtinet, ſiqvidem ſimiliter in iis ſucceſsioni locus eſt. Neqve officit deſcendentibus reliqvis, etiamſi inveſtitura tantum pro primô acqvirente & filiis ſit facta. Utut enim in Contractibus regulariter filiorum nomine ceteri deſcendentes non contineantur, & inveſtitura contractus qvidam ſit, qvia tamen hodie ea feudorum natura eſt, ut ad omnes deſcendentes perveniant, ſecundum hanc naturam qvoqve interpretari pacta inveſtiturarum convenit. Qvam ob cauſam ne ceteros qvidem deſcendentes excludi exiſtimaverim, etiamſi filius cum patre nominatim ſit inveſtitus, cùm interpretatio pactorum facienda ſit ſecundum naturam contractus, donec liqvidò appareat, abire contrahentes ab eâ voluiſſe.

X. Por-

Porrò qvemadmodum cum filiis concurrentes nepotes, vel etiam ſi meri ſint nepotes, in ſtirpes ſuccedunt jure Civili, repræſentantes patres ſuos, ſimiliter hoc etiam in feudis obſervatur. Qvando de ſucceſſione liberorum in feudis dignitatum, Ducatus. Marchioatus vel Comitatus qværitur, inſpicienda eſt conſvetudo, qvia &, qvod hodiè ſuccedunt, ex merâ conſvetudine eſt: Primogenitum tamen ſolùm in feudo regulariter ſuccedere, ſalutare magis eſt ſtatui præſenti. Qvod ſi ſucceſſores in feudis non ſint ex legitimo matrimoniô nati, non admittuntur *2. F. 26. §. naturales* id qvod textus citatus etiam ad legitimatos porrigere videtur. Qvamvis dubitari qveat, an verba de omni legitimatione ſint intelligenda, an verò de ea ſolâ, qvæ fit per reſcriptum Principis, ut ita pro obtinendâ ſucceſſione in feudo non proſit naturali per Principis reſcriptum legitimatum eſſe, benè autē per ſubſeqvens matrimonium. Rationē diſtingvendi & qvamobrem ſtatuendū ſit *c. §. naturales*. loqvi tantū de legitimatis per reſcriptū Principis, hanc reddunt, qvod ſubſeqvens matrimonium omne purget vitium, & per hoc legitimati in omnibus & per omnia liberis ex juſto matrimonio procreatis æqviparentur. At hoc contingere legitimatis per reſcriptum Principis diſertè indicat *Nov. 89. c. 9. §. 1. verb. nihil à legitimis differentes &c.* Qvod ſi nihil à legitimis differunt legitimati per reſcriptum Principis, profectò legitimati per ſubſeqvens matrimonium ipſis præferri neqveunt. Textus in *c. §. naturales*, ſubmovet Legitimatos ſine diſtinctione; niſi itaqve noverimus rationem legitimatos excludendi ſingemus diſtinctionem omni fundamento deſtitutam. Si dicatur, effectum legitimationis per ſubſeqvens matrimonium retrotrahi, ut perinde ſit, ac ſi nuptiæ ante tempus conceptionis celebratæ ſint, dicimus, idem fingi & à Principe legitimante; utrumqve ex fictione, par utriusqve eſt ratio. Cauſa igitur potius inveſtiganda qvam diſputationibus circa figuram verborum immorandum eſt. Inſpectis moribus veterum Germanorum inveniemus,

mus, qvod illi, qvò intemperatiores fuerunt in cibo & potu, eò magis temperantiam exercuerint in re venereâ de qvâ re *Tac. L. de Mor. Germ. c.18. verb.* ſevera illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris: nam propè ſoli Barbarorum ſingulis uxoribus contenti erant, exceptis admodum paucis, qvi non libidine ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. vid. *c.19. 20. ibid.* Ex qvibus conjicere haud temerè poſsis, extra matrimonium natos vel conceptos militum honore indignos habitos fuiſſe. Atqve inde colligimus, plus valere pro conſeqvendo feudo Principis legitimationem, qvàm eam, qvæ fit per ſubſeqvens matrimonium. Principis enim ſolius eſt, hac in re diſpenſare, & ſi fortè viderit, natum extra matrimonium. Principis enim ſolius eſt, hac in re diſpenſare, & ſi fortè viderit, natum extra matrimonium ſtrenuè res in bello geſsiſſe, non obſtante lege feudali ad feudum aliàs excluſum admittere. Hæc qvamvis ita ſe habeant, communis tamen jam eſt ſententia & præjudiciis Cameræ firmata, legitimatos per ſubſeqvens matrimonium in feudis ſuccedere, non æqve eos, qvi per reſcriptum Principis legitimati ſint. Qvamvis & hîc qvidam diſtingvunt inter legitimationem ſimpliciter à Principe factam, & factam nominatim ad feudum. *Myns. cent. 5. obs. 42.* Idem valere dicitur, ſi legitimatio ſit facta à Comite Palatino, modò id huic ab Imperatore ſit ſpecialiter indultum. *Roſenth. de feud. c. 7. concl. 19. l. 9.* Nonnulli, qvod de legitimatione per ſubſeqvens matrimonium traditur, limitant, traduntqve ſi legitimatus per ſubſeqvens matrimonium petat feudum, hunc ſubmoveri poſſe exceptione: In inveſtiturâ conveniſſe, ut primo acqvirenti ſuccederent liberi legitimè nati, die ehelich gebohrne Kinder vel ſuo corpore legitimè nati die von ſeinen Leibe ehelich gebohren ſind, ꝛc. *Roſenth. de feud. c. 7. concl. 18.* Qvam conventionem omni modo validam eſſe æſtimamus, qvia cum feudorum naturâ optimè conſpirat, qvam ex veteribus Germanorum moribus habent, ut modo dictum fuit. Qvod ſi qvi à Principe ad feuda legitimatus eſt, feudum Regale & cum dignitate petit, non videtur eſſe audiendus, cum legitimatio præſumatur ad feuda regu-

lariter, non etiam ad Regalia facta. *Roſcintb. c. 7. coucl. 19. n. 11.* Qvæ enim odioſa ſunt, ſtrictam interpretationem admittunt, ut nihil admittatur dictum, qvod expreſſum ſatis non eſt. Notandum vero eſt circa liberos, qvibus ſuccesſio datur, eos de Jure communi feudali non admitti, niſi qvoqve qvoad bona allodialia hæreditatem paternam agnoſcant. *Lib. 2. F. t. 51. §. 4. verb.* filius non poteſt recuſare hæreditatem Patris absqve feudo.

XI.

Seqvitur, ut qvaliter ſe habeat ſuccesſio circa Aſcendentes videamus. De qvâ *2. F. 50.* ita legimus: Succesſionis feudalis ea eſt natura, ut Aſcendentes non ſuccedant v. g. Pater filio. Atqve hæc qvidem regula in omnibus feudis regularibus, ſi pactis inveſtituræ nihil aliud convenerit, locum habet. Qvod ſic oſtendi poteſt. Feudum vel eſt Novum vel Antiqvum. Si novum eſt, nec inveſtituræ expresſè inſertum, qvòd aſcendentes ſuccedere debeant, non niſi deſcendentibus deberi poteſt. De eô enim, qvod naturale eſt Contractui feudali, præſumuntur dominus & primus acqvirens cogitaſſe, ſi de ſuccesſione nihil peculiariter pacti ſunt. Naturalibus enim in omnibus contractibus locus eſt, ſi nihil pactis cautum ſit. Deſcendentium autem ſuccesſionem naturalem eſſe in feudis patet ex cit. text. *2. F. 50.* Non facit pro Aſcendentibus, ſi novus acqvirens pro ſe & hæredibus ſuis ſit inveſtitus; Per heredes enim in materia feudali nulli alii intelliguntur, qvàm qvibus ſuccesſio in feudis ſecundum naturam horum debetur. Qvod feuda Antiqva attinet, regulariter contingere non poteſt, ut Aſcendentes Deſcendentes præcedant, ſed tantùm in caſibus extraordinariis & irregularibus, veluti ſi pater feuda antiqva refutàrit in favorem liberorum, & filii poſteà Patre ſuperſtite ſive liberis mortui fuerint, Redire enim hoc caſu feudum ad patrem, in Camera Imperii pronunciatum eſſe teſtatur *Mynſing. cent. 3. obſ. 93.* Qvod ipſum tamen ex merâ æqvitate factum eſt. Alias enim dici poſſet, in tali qvoqve caſu id regulariter ad Patrem reverti, ni-

niſi id ſibi vel expreſsè vel tacite reſervârit, ut ſi dixerit: ſe refutare feudum, qvatenus hoc filiis liceat habere. Nam ut maxime feudnm, qvod ſic à Patre refutatum eſt, in gratiam filiorum, Domino hos inveſtiente, non fiat per hoc Novum, ſed Paternum manat *2. F. 14.* Non tamen conſeqvitur propterea, mortuis filiis ad Patrem rediere, niſi id pacto tacito vel expreſſo, ut diximus, actum fuerit.

XII.

Qvando nulli exiſtunt liberi vel alii deſcendentes, regulariter ad Collaterales, qvi jure agnationis defuncto conjuncti ſunt, feudum Antiqvum pervenit, ſed non omnes, verùm eos, qvi à primo acqvirente deſcendunt. Siqvidem certa Juris feudalis regula eſt: qvod nulli niſi à primo acqvirente deſcendentes in feudis ſuccedant. R*oſentb. c. 7. concl. 50.* qvi infinitis præjudicis Cameræ hoc confirmatum eſſe refert. Prima autem cauſa in ſucceſsione Collateralium eſt fratrum Vaſalli defuncti & fratris prædefuncti filiorum, Patrem defunctum repræſentantium, atqve ſic in ſtirpes ſucedentium *2. F. 11. de ſucc. fratr. verb. his vero deficientibus.* Etſi autem textus citatus id non contineat, qvod in tali caſu ſucceſsio in ſtirpes non in capita fieri debeat, rationi tamen id eſt conſentaneum, qvia mors unius fratris alterius jus qvæſitum minuere, liberorum augere neqvit. Sed ſi nullus amplius frater exiſtat, ſuperſint, autem fratrum defunctorum liberi, numero ex ſingulis impares, gravis inter Dd. diſputatio eſt, utrum in ſtirpes, an in capita ſuccedant? Jure feudali hac de re nihil eſt proviſum, jus autem Civile in hac re obſcurum eſt. Unde natæ ſunt inter Dd. concertationes intricatæ, ut Carolus V. neceſſe duxerit, deciſione ſuâ controverſiam definire. Id qvod etiam fecit Spiræ Anno 1529. in Comitiis ibi habitis, decrevitqve, conſentientibus Statibus Imperii, ut ſucceſsio in capita non in ſtirpes fieret. Atqve hac conſtitutione etiam in feudalibus utuntur, eandemqve Cameram ſeqvi *Mynſing. cent. 3. obſ. 94. teſtatur.* Porro qvia in ſucceſsione allodialium frater germanus conſangvineos & uterinos exclu-

dit, jure Saxonico hi etiam uno gradu remotiores cenſentur eſſe, qvàm germani fratres, qværi poteſt, an huic obſervationi qvoqve in ſucceſſione feudali locus ſit? ſed in promtu reſponſio eſt, nempe duplicitas vinculi nullam prærogativam inferre poteſt, qvia ſola agnatio in feudis regularibus conſideratur. Poſt fratres & fratrum libero ſuccedunt reliqvi Agnati, (Patruus enim licet eôdem gradu cum fratrum liberis ſit, ab his tamen excluditur:) & qvidem ex his, qvi gradu proximiores ſunt defuncto *2. F. 11. de ſucceſſ. fratr. verb.* His verò, & verſ. ſi vero dominus. verb. Agnatus autem proximus illi ordine graduum obſervato, qvi legibus continetur *2. F. 37.* verb. qvi continetur legibus. Qvod de legibus Romanis intelligendum eſſe, recepta & communis eſt ſententia. Qvousqve vero ex transverſo latere conjuncti ſint admittendi, acriter diſputant Dd. Alii usqve ad ſeptimum gradum determinant, *1. F. 8. §. 1.* Alii ſucceſſionem in infinitum extendunt *2. F. 50. verſ.* Ex latere omnes per maſculos &c. Alii diſtingunt, an ex acqvirente immediatè factus ſit terminus in transverſales, ut tunc ſuccedant tantum usqve ad ſeptimum gradum, an vero illud venerit ad deſcendentes & ab his ad transverſales, qvo caſu volunt fieri in infinitum. Qvam poſtremam ſententiam in Camerâ receptam tradit *Mynſ. 2. obs. 95.* Omnes tandem agnati, qvi ut Collaterales ſuccedunt, feudum ex pacto & providentia conſeqvuntur etiam non agnitâ hæreditate defuncti, ſi autem feudum ſit hereditarium aliter id obtinere non poſſunt, niſi hæredes ſiant defuncti.

XIII.

Diverſa planè ab hac ratione ſuccedendi eſt ſucceſſio collateralium de Jure ſaxonico. Nam hoc jure ad Collaterales non defertur ſucceſſio vi agnationis, ſed magis, ut extraneis, qvibusqvè vi ſimultaneæ inveſtituræ competit. Tribuit autem ſimultanea inveſtitura in foro Saxonico nullo licet actu corporeo, traditione nempe vel apprehenſione accedente, jus reale ſimultaneè inveſtitis. *Hartm. Piſtor. p. 2. q. 20. n. 39.* Id enim

efficit

efficit lex Domini feudi, dicta rei feudali in ſimultaneâ inveſtiturâ. Qvæ etiam cauſa eſt, qvamobrem omnes Agnati jure communi feudali jus reale in feudis habeant ex lege ſcilicet à Domino in primâ inveſtiturâ rei in feudum datæ dicta, ut ſit primi acqvirentis & ſucceſſorum. Unde eluceſcit, qvod qvicqvid juris habent Agnati ex jure communi, hoc in foro Saxonico habeant ſimultaneè inveſtiti: Cum utrorumqve jus pendeat ex lege Domini, qvam rei feudali in inveſtiturà dixit. Hinc ſine conſenſu ſimultaneè inveſtiti feudum alienari neqvit, & ſi hoc fiat, revocatoriâ actione recuperari poteſt. *Carpz. p. 2 c 45. d. 16.* Notandum autem eſt, de ſimultaneæ inveſtituræ ſubſtantiâ eſſe, ut fiat conſenſu vaſalli inveſtiti, atqve poſſeſſoris. Cùm enim ſimultanea inveſtitura periculoſa ſit, propterea, qvod captandæ mortis votum inducere videatur, non aliter ac pactum duorum de tertii hereditate, hinc meritò deſideratur conſenſus Vaſalli Poſſeſſoris, cui inveſtitus ſucceſſurus eſt, qvemadmodum, ſi Tertius conſentiat, de hereditate paciſci licet *l. ult. C. de pact.* Porro autem in eô, qvi ex ſimultaneâ inveſtiturâ feudum ſibi vendicat reqviritur, ut eam ſuo facto acqviſiverit. Fac ſempronium, cum à Domino inveſtiretur impetraſſe, ut Publius literis inveſtituræ ſimul insereretur; dicimus Publium non poſſe ſibi arrogare ſucceſſionem, niſi factum ipſius acceſſerit, & ipſe qvoqve acceptaverit inveſtituram. Eſt enim feudum beneficium, qvod invito non acqviritur. Nec officit, qvod Dominus in literis inveſtituræ Sempronii legem dixerit rei feudali, ut hoc defuncto tranſiret ad Publium: Nam dicta hæc lex intelligitur cum tacitâ conditione, ſi & Vaſallum ſe gerat Publius. Idqve etiam approbat Elector, Saxon. *Ordin. Torgav.* de *A. 1583. rubr.* welchergeſtalt die agnaten §. iedoch iſt ſolches ꝛc.

XIV.

A Simultaneâ inveſtiturâ differt Abuſiva, qvæ fit de caducitate feudi. Neqve enim hæc ut illa aliqvod jus in re, ac proinde nec actionem Realem ſed Perſonalem tantùm contra Domi-

num ex contractu feudi tribuit. Ut patet ex *2. F. 26. §. ſi facta &c.* Qvod etiam Carpzovius non diffitetur *p. 2. c. 45. d. 1. n. 5.* qvamvis aliud docere videatur ſeq. *def. 2. n. 5.* ubi tradit, inveſtitum moriente vaſallô propriâ auctoritate feudum ingredi ac occupare poſſe. Eſt autem inveſtitura de Caducitate, qvâ feudum vivente poſſeſſore alteri eâ conditione conceditur, ut ſi poſſeſſor ſine liberis deceſſerit, feudum ad ipſum devolvatur. Ex qvâ deſcriptione ſatis apparet, non tribuere hanc inveſtituram jus in re, ſed tantùm ſpem futuræ inveſtituræ facere. Qvæ res dubium qvem reddere poteſt, an ex hac in caducitatem factâ inveſtitura dominus tanqvam ex contractu nominato præciſè ad poſſesſionem feudi tradendam, de qvo inveſtituram fecit, actione perſonali conveniri posſit? an vero non ulterius, qvam ad intereſſe præſtandum posſit condemnari? Ratio dubitandi eſt, qvod nonnulli Dd. venditorem præciſè ad rem venditam tradendam cogi poſſe negent, ſed præſtando intereſſe, liberari aſſerant. Verùm res tanti non eſt, ut in ea dubii hæreamus. Qvod ſi enim venditor non ulterius qvam ad intereſſe condemnari poſſet nulla eſſet inter contractus Nominatos & Innominatos differentia. Nam contractus Innominati actionem præſcriptis verbis pariunt ad intereſſe, Nominatos autem impleri, & ad finem, cujus gratiâ initi ſunt, perduci, jurisprudentiæ Romanæ conſentaneum eſt. Idem in Contractu Feudali æqve ac in Contractibus cæteris Nominatis ſervatum eſſe teſtatur *cap. ſi facta* &c. *2. F. 26.* ut ſcilicet dominus Poſſesſionem feudi, de qvo Inveſtituram fecit, præciſè tradere compellatur. Exiſtimamus E. Inveſtituram Abuſivam parere obligationem ut dominus præciſè teneatur feudum promiſſum tradere, & hoc ipsô differre ab inveſtiturâ propriâ, qvæ ipſa poſſesſionis traditio eſt. Putant tamen Dd. diſtingvendum inter Inveſtituram de Caducitate & nudam promisſionem, hanc enim Dominum non præciſè obligare ad tradendum, ſed liberari ſolvendo intereſſe. Qvin ulterius qvidam diſtingvunt inter promisſionem ſolennem, qvæ tranſierit in contractum & inter nudam & ſimplicem promisſionem; hanc dicunt

neqvi-